

DISPUTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM MINUS PROPRIIS CONTINUÆ
QUANTITATIS SPECIEBUS.

In recensendis speciebus quantitatis continuæ, permanentis et successivæ, locum meminimus, motum ac tempus, quas probavimus non esse veri nominis species quantitatis. Post disputationem, ergo de propria quantitate, operæ pretium est trium istorum continuorum tractationem aggredi, quorum frequentissima est et apud vulgus et apud Philosophos mentio, summique momenti accurata notitia.

CAPUT I.
DE LOCO.

Quanta sit
loci spatique
cum corpore
connexio.

241. Arcuissimam esse corporis cum loco necessitudinem et cognitionem videmus omnes, nec necesse est rationibus comprobare. Si enim experientiam consulamus, profecto reperiemus, nullum existere corpus, quin sit in spatio aliquo (1): si quiescit, loco continetur; si movetur, unum locum vel spatium deserit, aliud diversum acquirit; nec potest unum corpus duo replere spatia vel in duobus locis consistere, nec e converso duo corpora in uno eodemque loco: unde unitas loci, unitatis corporis, diversitas locorum, distinctionis corporum semper habitum est naturaliter aut physice certum argumentum. Hæc tanta spatii locive connexio Kantium impulit, perperam sane nullaque vi consequentiæ, ut spatii representationem tamquam formam subjectivam mentis nostræ venditaret. Verum non ita se res

Locus
vel spatium
una ex
proprietas
corporis.

(1) Quam ad rem sic habet S. Agustinus: *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt. et quia nusquam erunt, nec erunt.* Epist. 187 [al 57], cap. 6.

habet: quantum ex perpetua constantique inductione concludere licet, spatium quidem et locum cernimus et intelligimus ubicumque corpora nobis contuenda observantur; at ex hoc, si verum est ac certissimum, ut est profecto, cognitiones nostras esse objectivas, id unum jure merito inferendum est, constitutionem vel positionem in loco spativæ esse unam ex proprietatibus, quæ corporibus competit ratione quantitatis.

ARTICULUS I.

Ratio loci et spatii enucleatur; ubi aliquod
etiam de vacuo.

Quamquam spatium et locus sæpe pro eodem accipiantur, in usu tamen sapientissimorum Philosophorum distingui solent. Oportet ergo distinctas utriusque notiones enucleare.

§ I.—QUID SIT SPATIUM.

242. Spatium concipimus vulgo instar capacitatis cuiusdam in longum, latum et profundum, aptæ ad recipienda corpora: hoc pacto mundus creatus esse dicitur in spatio, et extra mundanam machinam, quam supra ostendimus non sese protendere in infinitum, adhuc longissima patere creduntur spatia, in quibus alia quoque nova corpora creari, collocarique possent. Pari modo spatium quærimus ad extruendas domos, ad ambulandum; spatia replentur, exinanuntur, amplificantur, contrahuntur, et si omnia corpora in nihilum abirent, spatia remansura esse intelliguntur, aliis novis capiendis parata. In quibus aliisque propositionibus idem semper menti occurrit conceptus receptaculi cuiusdam, in quo locentur, vel certe locari queant corpora. At in explicanda natura et ratione spatii, mirum est, in quot abierint scriptores, potissimum recentiores, diversas opiniones (1). In primis Kantius omnem penitus objectivam realitatem spatii eripuit: voluit enim representationem spatii, quæ perpetuo nobis intuitibus corpora observatur animo, non obtineri

Quid
sit spatium.

Opinio Kantii.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 51, sect. 1, num. 10, 11.

per experientiam, sed experientiam omnem antevertere, nec esse conceptum aliquem universalem, sed *puram intuitionem a priori*. Quia vero pura intuitio spatii a priori, experientiam omnem præcedens, nihil aliud esse potest, nisi modus quidam, quo animus noster ad ita præformandas objectorum representationes conformatus est, tandem conclusit spatium non esse aliquid extra mentem existens, nec determinationem intrinsecam rebus, sed esse formam quamdam, quam induunt phenomena sensuum externorum seu conditionem subjectivam sensibilitatis, quæ sola possibilem efficit intuitionem exteriorem (1). Porro «representatio spatii dicitur a Kantio *intuitio* seu *visio pura*: *visio*, quia non est apprehensio rei universalis, quæ de pluribus inferioribus dicatur, sed est apprehensio unius rei illimitatæ, cujus particularia spatia partes sunt, quæ illius circumscriptione determinantur: *pura*, quia non est ab experientia» (2). Verbo secundum Kantium spatium est figmentum mentis.

Cæteri fere realitatem objectivam spatio adseruerunt, quamvis eam mirifica varietate explicaverint; aliis realitatem spatii in aliqua entitate ab ipsis corporibus distincta, aliis in extensione corporea, vel sola vel cum aliquo respectu superaddito reponentibus. Ex iis tamen, qui spatium rem a corporibus penitus distinctam finxerunt: α) quidam, ut Henricus Morus (3), Newtonus (4), Clarke (5), aliique apud P. Salvatorem Roselli (6), dixerunt spatium esse ipsam Dei immensitatem: qua in re Newton eo usque progressus est, ut spatium vocaverit quasi *sensorium Dei* (7), quapropter longa

Newtonis
et Clarkii

- (1) Emmanuel Kant, *Æsthetica*, sect. 1.^a
- (2) Cl. Palmieri (*Cosmolog.*, cap. 1, thesi VI, part. 6.^a), apud quem plura de hac re. Cfr. Gallupi (*Saggio filosofico*, lib. 3, cap. 10).
- (3) *Enchirid. Metaphys.*, cap. 8.
- (4) *Optic.*, quest. 20.
- (5) Vide inter Opera Leibnitzii p. 1, pag. 111 seqq.
- (6) *Summa philosoph.*, tom. 2, quest. 10, art. 1, num. 374.
- (7) En ejus verba. «Annon sensorium animalium est locus, cui substantia sentiens adest, et in quem sensibiles rerum species per nervos et cerebrum delerentur? Annon ex phaenomenis constat, esse ensintelligens, omnipotens, quod in spatio infinito tamquam sensorio suo res ipsas intime cernat, totasque intra se præsens presentes complectatur?» (Newton loc. cit. pag. 215).

et acris exarsit inter Clarkium et Leibnitzium controversia, hoc impugnante, illo defendente, aut certe excusante, Newtonianam doctrinam modumque loquendi (1). Sententia ista spatium in divina immensitate sitam asserens, aliis quoque viris doctis tribui solet, ac nominatim Fenelonio, Camera-censi Præsuli (2) et P. Leonardo Lessio (3), immo et ex ipsis SS. Theophilo Antiocheno (4), Dionysio (5), quodque magis est, ex S. Paulo Apostolo (6) patrocinium sibi adsciscere audeat. Eadem denique doctrina expresse propugnatur a P. Rhodes (7), Caramuel (8), et inter recentiores a P. Bayma (9). β) Alii (10) arbitrati sunt spatium esse nescio quid reale sempiternum, increatum et indestructibile, distinctum et a Deo et ab ipsis corporibus. γ) Tertio quidam alii spatium decreverunt esse substantiam quamdam, eamque primam, quam inter res extensas Deus creaverit (11). δ) Petro Gassendio spatium est ens quoddam incorporeum, quod neque substantia sit neque accidens, sed medium inter

et aliorum.

itemque
Petri Gassendii,

(1) Quam controversiam lege, si lubet, apud Jacobum Balmes, *Filosofia fundamental*, lib. 3, in nota 2.^a a cap. 10.^{um}, quæ ad calcem secundi voluminis reperitur.

(2) In suo tractatu de *divina existentia et attributis*, e quo quædam loca excerpta videre potes apud Balmes (loc. cit. cap. 11).

(3) De *perfectioibus moribusque divinis* lib. 2, cap. 2, num. 10, 12.

(4) Deum esse *omnium locum* scripserat in lib. 2.^a ad *Aulolicum*.

(5) De *divinis nominibus*, ubi S. Dionysius (cap. 1 fin.) Deum vocat *custodiam et domicilium omnium*, *ἡγουσὶν καὶ ἐπιταξ*, et inferiorius (cap. 10) *continentem omnia ut omnium sedem omnica pacem*, *συνέχουσαν αὐτὰ ὡς παντῶν ἕδραν παγκρατῆ*.

(6) Cujus hæc est sententia: *In ipso vivimus, movemur, et sumus*, *Act.* cap. 17, v. 28.

(7) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 4, quest., sect. 2, paragr. 2.

(8) Apud Franciscum Soarez lusitanum, *Metaphys.* tract. 7, disp. 1, sect. 6, num. 180.

(9) *Philos. realis*, vol. 1, tract. III, cap. 1, num. 9, pag. 249, 250.

(10) Ita Orlandius in *Adnotationibus ad Physicam Musschenbroeckii*, apud Roselli (loc. cit. num. 384, not.), A. Wissner apud cl. Pesch (*Philos. natur.* num. 451 in not.), et Hesiodus aliique veteres apud Aristotelem (*Physicor.* lib. 4, cap. 1), et S. Thomam (libid. lect. 1.^a fin.).

(11) Ita De Turre et Musschenbroeck, apud Roselli (loc. cit. num. 392 et 393 in not.).

et quorundam
veterum,
 urumque. e) Huc revocari possunt etiam opiniones veterum
 quorundam Philosophorum, relatæ a Simplicio (1). Nam
 Proclus posuit spatium esse corpus quoddam inanimatum,
 indivisibile, immobile et immateriale. Alii, ut Chrysippus et
 Epicurus, quos refert Themistius (2), et Academici citati ab
 Alberto M. (3), spatium existimant esse non substantiam,
 sed solam quantitatem et dimensiones: idque tenuit etiam
 Galenus, quemadmodum testantur Simplicius ac Themis-
 tius, et post Galenum Philoponus (4).

Cartesii,
 Inter eos etiam, qui spatium in extensione corporea
 constituunt, est aliqua varietas opinandi. Nam a) Renatus
 Cartesius videtur spatium in extensione absolute constitue-
 re; nam cum essentiam corporis posuisset in extensione,
 cumque spatium involvat in suo conceptu extensionem, tria
 hæc unum esse statuit, spatium, extensionem, corpus: un-
 de ulterius vacuum spatium chimæram esse conclusit, quia
 videlicet si spatium omne extensionem importat, extensio
 vero est ipsum corpus, spatium fingere corpore vacuum,
 tantum valet, quantum corpus concipere sine corpore. Illud
 quoque præterea ex iisdem præmissis intulit, quod jam
 superius refutavimus, extensæ materiæ, atque adeo mun-
 danæ molis, nullos esse limites (5). Doctrina ista spatium
 in extensione reponens, omissis tamen vel rejectis cæteris,
 quæ Cartesius addebat, capitibus de infinitate mundanæ
 extensionis ac de ejus identitate cum corporis essentia, pla-
 cuit quoque Jacobo Balmesio, secundum quem ubi nullum
 est corpus, nullum quoque est spatium, et ubi nullum
 intercedit corpus, nulla dari distantia potest (6) ß) Alii
 videntur spatium in relatione aliqua reponere. Nam Leib-
 nitzius (7), ut refert cl. P. De San, constituit spatium *in*

(1) In digressionem de Loco, quam fecit super 4.^{am} lib. *Physicor.*

(2) In Commentariis in lib. 4.^{am}, *Physicor.*

(3) In lib. 4.^{am} *Physicor.*

(4) Vide Cardin. Toletum. (*Physicor.* lib. 4, quæst. 3) et Rubium
 [Ibid. tract. de *Natura loci*, quæst. 1, num. 16, 17], et Benedictum
 Pererium (Oper. cit. libr. 11, cap. 4).

(5) Vide Cartesium. *Princip.* 2.^a part. num. 10 seqq., 18 et 21.

(6) Op. et loc. cit. cap. 12.

(7) *Nouveaux essais sur l'entendement humain* lib. 2, cap. 13,
 num. 17.

ordine coexistentium, nomine ordinis intelligens relationes
 distantie, ut ipsemet sese explicat» (1). Hanc eandem
 sententiam paululum correctam vel explicatam videtur am-
 plecti idem cl. P. De San, ex quo spatium «non est quæ-
 libet distantia, ut definire visus est Leibnitzius, sed volumi-
 nalis tantummodo, et quidem non alia, quam ea, cujus
 termini sint discreti a corpore inter eos intercepto» (2).
 Unde mox hanc ordine quartam statuit propositionem:
 «Spatium formaliter est intervallum sive relatio distantie
 voluminalis inter superficies vel partes superficiei, quæ lo-
 cum constituunt intercedens» (3). Quare alibi consequenter
 docet locum se habere ad spatium, sicut concretum ad
 formam suam. Cum enim locus definiatur a cl. Auctore
 «immobilis corporis alicujus superficies, prouti inter hujus
 partes ratione partialium ubicationum eas diversimode ubi-
 cantium *tale intervallum sive talis distantia voluminalis inter-
 cedit, ut possibile sit corpus determinatæ molis inter eos
 mediare*» (4); efficitur, ut spatium sit quodammodo forma
 loci, quia est id, quo locus capax efficitur continendi aliud.
 Hæc doctrina videtur opinionem Leibnitzii cum opinione
 Scholasticorum in unum conjungere.

Quod enim spatium *consistat* in relatione nullibi recorder
 me reperisse apud veteres Doctores; at quod spatium sit
 et Scholasticorum.
 intervallum inter superficies corporis aliud continentis exis-
 tens, vel si mavis generalius, quod spatium sit intercapedo,
 quæ corpore occupatur, aut repletur, puto esse sententiam
 Aristotelis, eamque valde communem inter Scholasticos.
 Sane Aristoteles cum loci naturam investigat, excludit opi-
 nionem eorum, qui locum confundebant cum spatio (5),
 docetque locum esse superficiem corporis aliud continentis
 vel ambientis, nomine autem spatii intelligit intervallum,
 quod inter superficies corporis aliud continentis interceptitur,
 illud ipsum, quod corpore contento repletur. Ut in vase

(1) Cl. De San, Op. cit. num. 428.

(2) De San, loc. cit., num. 428 fin.

(3) Id. ibid. num. 444. Cfr. num. 415 et 401.

(4) Ibid. num. 412 et 416.

(5) *Physicor.* lib. 6, cap. 4. Cfr. ib. S. Thom., lect. 6; et in
 opusculo de Loco.

aqua pleno et in cubiculo superficies interna parietum vas-
sis et cubiculis sunt locus, spatium autem est interval-
lum inter illas superficies comprehensum, quod aqua re-
pletur vel aere vel alio quovis corpore, quodque vacuum
foret, nisi aliquo corpore repleretur. Quo pacto spatium
mundi est illa capacitas vel intercapedo et quasi vorago
mundanis corporibus repleta, cumque ipsis quasi penetrata,
et penitus commensurata, quæ ante creationem fuit de
facto ac, destructo per Deum mundo, foret iterum inanitas
quædam vacua easdem habens dimensiones in longum,
latum et profundum, ac ipsa mundana moles nunc exi-
stens.

Eodem modo loquuntur interpretes Aristotelis, ut
S. Thomas, Sotus, Conimbricenses, Toletus, Rubius, Mauri
aliique (1), quin et aliquando indiscriminatim usurpant vo-
ces *spatium* et *intervallum* in hac materia. Simili modo passim
loquuntur plurimi alii graves Auctores in sus operibus phi-
losophicis, cum notionem loci describunt, diversasque circa
ejus naturam opiniones referunt (2). Itaque tum ii, qui locum
putabant esse idipsum quod spatium, tum ii, qui spatium a
loco distinguebant cum Aristotele ac S. Thoma, nomine
spatii proprie intelligebant intervallum illud, quod corpore
occupatur, quodque si nullum actu corpus adesset, vacuum
et inane penitus foret (3) et hanc puto communissimam

(1) Vide illos in cap. 4.^{us} libri 6.ⁱ *Physicorum*.

(2) Videntur tamen quandoque veteres auctores, etiam ii ipsi, qui
distingueda illa esse docent, pro eodem accipere spatium et locum.
Sic S. Thomas, qui in *Quodlibeto* 6.^o art. 3 negat locum esse spatium,
alibi (1 p. quest. 46 art. 1 ad 4.^{am} et 8.^{am}) videtur voces *locum* et *spa-
tium* promiscuo accipere Ita etiam celebrem illam questionem, *utrum
Deus sit in spatiis imaginariis*, quidam sic enuntiant: *Utrum Deus
sit in locis imaginariis*. Vide v. g. P. Gregorium de Valentia (In
1.^a part. disput. 1, quest. 8, punct.), et Card. Aguirre (*Physic.*
disp. 28, sect. 1).

(3) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 51, sect. 1, num. 9), Benedict.
Pereira (*De communibus* etc. lib. 11. cap. 4), Complutenses (*Physic.*
disp. 10, quest. 1), Joannem a S. Thoma (*Physic.* quest. 16, art. 1),
Goudin (*Physic.* 1.^a pars. disp. 3, quest. 4, art. 1), Cardin Aguirre
(*Physic.* disp. 25, sect. 1, num. 4), Mastrium (*Physic.* disp. 11, quest. 1,
num. 3), Rhodes (Op. cit. lib. 2, disp. 4, quest. 1), etc.

inter Scholasticos opinionem. Hæc tamen non exhibent nisi
spatium, quod particulare vel limitatum aut determinatum
dici potest.

Ad plenam autem hujus sententiæ declarationem, descri-
bendum quoque est spatium aliud longe familiarius apud Scho-
lasticos, *imaginarium* nempe, quod et *absolutum* a recentio-
ribus denominatur. Nos enim apprehendimus extra corpo-
reum mundum innitatem quamdam et capacitatem pluri-
um sine fine recipiendorum corporum instar tenuissimæ cujusdam
extensionis quaquaversum in immensum diffusæ: hoc est
spatium imaginarium. Illudque est, quod imaginamur rerum
creationem præcessisse tamquam receptaculum aptum, in
quo mundana machina collocaretur, illiusque partem cer-
tam in se ac determinatam replet, et occupat nunc mundus,
æqualem suis dimensionibus, ita, ut adhuc extra ultimam
superficiem mundanæ molis protendatur absque ullo termino
inanitas locum relinquens infinitis aliis mundis fabricandis,
in quo proinde spatium posset mundus iste, alioque, si Deus
vellet, migrare. Unde sequitur intervalla omnia et spatia,
quæ a quibuslibet mundi corporibus replentur, considerata
esse tamquam portiones majores aut minores absoluti et
imaginarii hujusmodi spatii, in quo fluitat, ut ita dicam,
totus mundus. Characteres proinde imaginarii spatii, prout
a nobis apprehenditur, sunt, ut 1.^o sit indefinitum ratione
limitum, quia limites a nobis nulli in eo concipiuntur, 2.^o ut
sit indivisibile, seu cujus partes nequeant separari; quia si
quas partes ab aliis separari fingamus, in hujusmodi spatio,
inter eas sic separatas mens spatium interceptum percipit,
quare impossibile est istud spatium ut discretum et non
continuum imaginari. Possunt tamen in eo concipi partes
distinctæ ac certas determinatasque inter sese habentes di-
stantias et dimensiones, sicut in reali extensione. 3.^o est im-
mobile, nam omnem motum corporum fieri concipimus ab
una parte spatii in aliam ita, ut sola corpora moveantur: nec
possumus spatium aliquod apprehendere ut alio migrans,
quin simul ibi, unde migratio proficiscitur, spatium adhuc
manere concipiamus, fere sicut modo diximus de divisione
imaginarii spatii. 4.^o est quaquaversum penetrabile ac per-
meabile, nulli enim corpori resistit, sed omnibus patet, et ab

Quid
spatium
imaginarium.

cjusque notæ.

omnibus, quantum est in se, sinit se penetrare. 5.^o denique quia corpora fiunt in spatio, illisque omnibus destructis adhuc remaneret inanis illa vastissima, in qua possent, si de novo crearentur, corpora recipi; spatium hujusmodi concipimus, ut initio carens ac sine durationis. Porro spatium istud imaginarium, ex communi Scholasticorum doctrina, nulla physica gaudet realitate, quamvis a nobis apprehendatur instar immensæ cujusdam extensionis in longum, latum et profundum; et propterea etiam vocatur imaginarium, quia ratio ejus nequit intelligi a nobis, quin imaginatio phantasma extensionis cujusdam interminatæ suppeditet, et sic tamquam actuale aliquod representare faciat id, quod nihil est actuale.

Itaque ut omnia in summam redigamus, nomine spatii venit generatim capacitas recipiendi corpora; nam ubicumque potest corpus esse, ibi spatium adest. Dividitur in absolutum vel imaginarium et respectivum vel partiale. Respectivum vel partiale est quodvis determinatum intervallum aptum, ut corpore repleatur: spatium hujusmodi est majus vel minus pro majori vel minori corpore, quod continere queat, potestque augeri vel amplificari, et contrahi vel minui. Spatium imaginarium est illud, quod a nobis concipitur ultra mundi limites quaquaversus sese protendere sine ullo termino, immobile, indivisibile, infinita partialia spatia, quæ assignari possint, in se uno complexum, ut jam declaratum est. Vocari etiam solet a quibusdam *possibile vel ideale*, quatenus nihil habet actualitatis physicæ.

Spatio imaginario solet etiam contraponi spatium reale, illud nempe quod realibus terminis clauditur, quale est spatium hujus cubiculi, quod physica parietum extensione ac superficie terminatur. Spatium proinde hujusmodi est illud, quod continetur intra *locum realem*. Sunt tamen, qui spatium reale velint esse realem extensionem, et alii videntur cum ipso loco reali confundere seu cum superficiebus corporis, intra quas aliud continentur. Spatium reale vocant etiam quidam recentiores actuale, sive in actu secundo, sive in actu primo; spatium actuale vel actuatum in actu primo dicunt illud, quod non est repletum vel occupatum: tale foret spatium vacuum intra realem locum existens, ut si Deus destrueret aquam vel aërem, qui replet vas, vacua

Quotuplex
spatium.

capedine relicta. Spatium actuatum in actu secundo est illud, quod corpore aliquo repletum est: talia sunt omnia spatia, quæ in mundana mole reperiuntur, quia non datur actu locus reapse vacuum, licet vacuum videri possit, propterea quod corpore aliquo minus sensibili repletur. Denique recentiores meminerunt etiam spatii *mathematici* et *physici*: mathematicum vocant extensionem abstractam; physicum, extensionem consideratam tamquam receptaculum capiendorum corporum.

Verum jam videndum est, quid rei sit spatium, judiciumque ferendum expositarum hactenus opinionum.

243. PROPOSITIO 1.^a Spatium non est subjectiva quædam forma externæ sensibilitatis, quemadmodum Kantius commentus est.

Prob. 1.^o Kantianum comentum idealismo innititur, aut certe ad idealismum adducit. Ergo rejiciendum est. Prob. antec. Nam non minus evidens est corpora esse in spatio posita, quam corpora existere, et extensa esse, ut cuius propria experientia manifeste testatur. Ergo nemo potest asserere consequenter spatii representationem esse pure subjectivam et phænomenalem, quin pariter in animo suo decernat realitatem sensibilibus omnium representationum respuere.

Prob. 2.^o Animo nostro eodem permanente, representatio spatii diversissima est pro diversitate corporearum magnitudinum, quas in illo collocatas cernimus secundum varietatem propemodum infinitam. Atqui si ex animi natura vel insita forma procedit spatii representatio, ratio sufficiens tante diversitatis reddi nequit. Ergo..

Dices 1.^o «Ut quædam impressiones referri possint ad res distinctas a me (i. e. ut haberi possint tamquam representationes realium objectorum a me distinctorum), et ut eas (id est objecta earum) possim mihi representare, ut seorsim a seipsis existentes aut juxta positas, et idcirco non solum ut distinctas, sed etiam ut existentes in locis differentibus, oportet, ut antecederet habeam ideam spatii. Nequit ergo idea spatii derivari ab experientia: immo experientia ipsa possibilis non est sine hac idea» (1).—Resp. neg. antec., quod gratis

Spatium
non est
subjectiva
quædam forma
externæ
sensibilitatis.

(1) Ita Kantius loc. cit.

asseritur intolerabili dogmatismo. Sufficit enim sentiendi vis, ut partialia spatia concrete percipiantur simul cum corporum extensione ac realitate, situ locisque diversis. Qua posita experientia potest deinde intellectus ideam spatii in genere efformare, sicut reliquas omnes ideas universales, detractis notis individuantibus ac differentiis, quæ in particularibus spatiis cernuntur.

Dices 2.^o «Idea spatii est representatio a priori, quæ in nobis necessario existit. Nequit sane unquam concipi, quod spatium non sit, quamvis liceat cogitare, quod nullum objectum ibi reperiatur» (1).—*Resp. neg.* assertum. Ad probat. *dist.* assertum. Non possumus unquam concipere, quod spatium passibile non sit, *conc.*; quod spatium reale non sit, *neg.* vel *subdist.*; non possumus concipere, id est imaginari, *trans.*, nam imaginatio semper spatium representat instar extensionis actu existentis. Non possumus concipere, id est intelligere, *neg.*

Dices 3.^o Cum eodem. Spatium primum nos apprehendimus ut unicum et infinitum; cum vero spatia plura nominantur, ea concipimus ut partes ac limitationes unius cuiusdam spatii illimitati. Atqui α) nec partes spatii prævertere possunt spatium unicum, quod illas complectitur, ac si eæ forent ejus elementa constitutiva, quin possimus illas concipere nisi intra illud unicum spatium: β) nec ope experientie apprehenditur quidpiam infinitum. Ergo dicendum est representationem spatii non esse empiricam, sed antevertere omnem experientiam (2).—*Resp. neg.* iterum antec., quod gratis et falso asseritur a Kantio, «Talis videlicet est cognitionis processus: primo empirice apprehendimus varia spatia finita: secundo, ex spatii sic sensibiliter apprehensi efformamus ope abstractionis conceptum spatii universalem, hoc est, talem qui præscindat ab hisce vel hisce determinatis terminis spatii: tertio, eo ipso quod conceptus iste universalis spatii est independens ab omni limitatione determinata, intelligimus ultra omne spatium, quod cogitamus posse extendi spatium majus, et sic applicatione conceptus universalis

(1) Id. *ibid.*(2) Vide Kant *loc. cit.*

spatii efformamus conceptum spatii indefiniti» (1). Plura dabit cl. P. Pesch. (2); sed res vacat difficultate.

244. PROPOSITIO 2.^a Spatium non est immensitas nec aliud attributum divinum, nec quidpiam reale sempiternum, increatum et indestructibile.

Probatur prima pars: *Spatium non est immensitas nec aliud attributum divinum.* Spatium neque esse neque concipi potest nisi ut quidpiam extensum. Atqui immensitas vel aliud divinum attributum non potest esse, nec concipi extensum. Ergo.

Spatium
non est
immensitas.

Minor constat ex summa Dei simplicitate. Major vero manifesta est tum ex experientia tum ex ratione usque adeo, ut ipsam corpoream extensionem non aliter intelligamus, nec explicemus, quam per ordinem ad spatium, quia videlicet sunt in spatio circumscriptive, seu commensurando illud, adaptando se illi ita, ut totum corpus extensum sit in toto spatio æquali, et pars in parte.

Probatur secunda pars: *Spatium non est quidpiam reale sempiternum*, etc. Si spatium foret quidpiam reale sempiternum, increatum et indestructibile, vel esset ipse Deus vel aliquid ens a Deo distinctum. Atqui non Deus, ob rationem factam in prima parte. Non aliquid a Deo distinctum, quia repugnat præter Deum esse quidpiam ab eo independens in esse, atque adeo increatum et indestructibile; nec datur in rerum natura ullum ens creatum æternum, ut patet ex superius probatis circa mundi creationem. Ergo.

nec quidpiam
reale
sempiternum.

Dices 1.^o Quidquid existit, vel existere potest, præsens est spatio. Sed solus Deus est ubique, ac proinde soli Deo præsentia sunt omnia quæcumque existunt, aut certe existere possunt. Ergo...

Resp. dist. Major. Quidquid existit præsens est spatio, sive reali sive imaginario, *conc.*; spatio reali, *neg.*

Contra dist. Soli Deo sunt præsentia omnia, quæcumque existunt, tamquam enti reali, *conc.* tamquam enti possibili vel imaginario, *neg.* Et *neg.* conseq.

(1) Cl. P. De San, *Cosmolog.*, num. 435.(2) *Philos. natural.*, num. 458 seqq.

Dices 2.^o Spatium concipitur tamquam aliquid infinitum et prius omni re creata; nam quidquid creatur, in spatio constituitur. Atqui solus Deus est infinitus et prior omni re creata. Ergo spatium est ipse Deus.

Resp. *dist.* Major. Spatium reale concipitur tamquam aliquid infinitum prius omni re creata, *neg.*; spatium possibile vel imaginarium, *transeat*. Et *concessa* vel *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Adde præterea, spatium non apprehendi tamquam ens infinitum simpliciter et secundum essentiam, sicut Deus, sed secundum quid et secundum quantitatem vel extensionem, nec ut infinitum categorematicum, sed ut syncategorematicum seu indefinitum.

Dices 3.^o Si fingamus omnia in nihilum redigi, adhuc concipitur perstare immotum spatium cum sua immensa capacitate recipiendi possibilis omnia corpora. Ergo spatium est aliquid indestructibile et independens a Deo in *esse*.

Resp. *dist.* ant. Si fingamus omnia in nihilum redigi, adhuc perstat spatium reale, *neg.*; imaginarium vel possibile, *conc.*; et *neg.* conseq.

Dices 4.^o Si Deus est immensus, debet esse ubique actu præsens. Atqui ubique esse non potest, nisi ab æterno adsit spatium quaquaversus diffusum. Ergo spatium et realitas aliqua sempiterna, increata et indestructibilis.

Resp. *dist.* Major. Si Deus est immensus, debet esse ubique, id est non habet præsentiam restrictam ad unum præ alio ex omnibus possibilibus spatiis, sed ad omnia illa applicatam, *conc.* Debet esse actu præsens ubique coexistendo alicui realitati, *subdist.*: quando detur talis realitas, *conc.*; secus, *neg.*

Contradist. Minor. Deus ubique actu præsens esse nequit, coexistendo ab æterno alicui realitati, nisi etc. *trans.*; coexistendo alicui realitati tum solum, cum a Deo res creentur, *neg.* Et *neg.* conseq. Etenim aliud est Deum esse immensum, et aliud Deum actu esse ubique. Immensitas est attributum absolutum, quod æque salvatur, sive existant alia, sive nihil aliud præter Deum actu existat: in eo enim consistit, ut Deus exigat præsentem esse absque ulla sui mutatione rebus omnibus locisque creabilibus. Ad quod requiritur sane, ut Deus actu adsit, ubicumque aliquid creari potest: unde

quandocumque aliquid creatur et alicubi constituitur, Deus non tum incipit ibi esse, sed jam ab æterno erat, et solum incipit præsens esse vel coexistere rei creatæ. Prius enim non præsens erat rei; non quidem ex defectu sui, sed ex defectu rei nondum existentis, quia nihil potest præsens esse vel coexistere rei, quæ nondum existit; præsentia enim et coexistentia relationem quamdam important, quæ utriusque extremi realitatem subaudit. Esse autem Deum ubique importat præsentiam Dei actu exhibitam aliis rebus, proinde supponit existentiam illarum per divinam operationem. Est ergo denominatio Deo conveniens ex tempore, et non ab æterno, sicut denominatio Creatoris ac Domini; nec absolute necessario convenit Deo, sed solum hypothetice, nempe supposito, quod sint alia, quibus præsentiam suam exhibeat. Verum de his in Theologia naturali (1).

Jam quod attinet Sanctorum testimonia, quæ pro se adducunt adversarii, primo quidem S. Paulus cum scripsit: *In ipso vivimus, movemur et sumus*, id ipsum videtur expressisse, quod alibi de Deo docuit: *Portans omnia verbo virtutis suæ* (2), significans nempe Deum omnibus tribuere esse, omniaque virtute sua in esse continere, et omnibus vim agendi atque ipsam actionem largiri (3). In eodem sensu intelligi possunt SS. Theophilus et Dionysius, quia cum Deus omnia virtute sua teneat in esse, omniaque impleat excedendo præsentia sua, jure dici potest in aliquo sensu *sedes, domicilium, locus et custodia omnium*: unde etiam suadent scriptores ascetici, ut nos præsentem Deo cogitemus, quasi in medio pelago immenso totius esse constitutos. Et sic etiam exponit Dionysii doctrinam S. Maximus: *Deus, inquit, immensitate sua rerum omnium locus est, non ad modum corporum, sed in eis tamquam earum opifex agendo* (4). Cæteri auctores, ut Lessius, Fenelonius, Rhodes et Caramuel ita defendunt contrariam sententiam, ut minime velint Deo extensionem veri nominis ac partium diffusionem tribuere,

(1) Vide interea S. Thom. 1.^a dist. 37, quæst. 2, art. 3.

(2) *Hebr.* cap. 1, v. 3.

(3) Vide S. Joann. Chrysost. (hom. 38 in *Acta Apostolorum*), S. Thom. (1.^a p. quæst. 8, art. 1 ad 2.^{um}).

(4) S. Maxim., in Cap. 1.^{um} d. *divin. Nomin.*

et fortasse noluerunt quoad substantiam aliud significare præter id, quod alii significant, cum scribunt Deum esse in spatiis imaginariis, nempe Deum ratione suæ immensitatis actu esse, ubicumque aliquid creari potest: unde sequitur Deum quodammodo implere omnia immensitate sua, et ubicumque nulla creata entitas datur, ideoque qua lata patent spatia imaginaria, nihil esse reale et actuale præter divina immensitatem. Si autem reapse conceptum spatii, sive realis sive imaginarii, in divina immensitate repositam voluerit, audiendi non sunt contra manifestam rationem et communem sensum doctorum pariter atque indoctorum hominum.

245. PROPOSITIO 3.^A *Spatium non est substantia prima inter extensas, quam Deus creaverit, nec omnino substantia, multoque minus quantitas vel dimensiones aliquæ reales, nec demum ens quoddam incorporeum, medium inter substantiam et accidens.*

Spatium non est prima substantia extensa a Deo creata,

Prob. prima pars: Spatium non est prima extensa substantia, quam Deus creaverit, nec omnino substantia. 1.^o Nam ejusmodi substantia vel esset corpora vel incorporea. Si incorporea, non posset esse extensa, quale concipimus spatium: extensio enim proprietas est corporis. Si corporea, suam haberet quantitatem, ac proinde non posset cum corporibus penetrari. Atqui spatium quaquaversus permeatur, penetraturque a corporibus in eo locatis. Ergo...

2.^o Ideo spatium dicitur esse prima extensa substantia a Deo creata, ut videlicet cætera recipi, ac locari possint in illa. Atqui ipsa quoque primo creata substantia concipitur a nobis in spatio recipi, nec certe posset constitui, nisi ubi aliqua daretur capacitas receptiva.

Probatur secunda pars: multo minus reponi potest spatium in quantitate vel realibus dimensionibus, abstractis nempe ab omni corporea substantia. Nam tunc daretur accidens sine subjecto: quod naturaliter absurdum est. Jam videlicet probavimus superius, quantitatem esse accidens realiter distinctum a corpore. «Respondet Philoponus, quod illa quantitas semper est cum corpore locato aliquo.—Ista responsio nulla est: nam vel est in eo ut in subjecto inhæsiue, vel non. Si non, jam idem est inconueniens. Si autem sic, cum postea

eadem quantitas (nempe spatium) maneat recedente illo corpore (ut v. g. cum in eodem spatio vasis aër recedit, ut locum relinquit aquæ vel vino, quod in illud infunditur), datur unum accidens, quod migrat de subjecto in subjectum» (1); quod absurdum esse probavimus in *Ontologia* (2).

Probatur tertia pars: Spatium non est ens aliquod incorporeum medium inter substantiam et accidens. 1.^o Repugnat ens, quod nec sit substantia nec accidens: nam ens, ut demonstratum in *Ontologia* est (3), adæquate dividitur in substantiam et accidens. Ergo repugnat pariter Gassendianum commentum. 2.^o Præterea spatium trine dimensionum a nobis concipitur. Atqui ens incorporeum nulla, nedum trina, dimensione potitur. Ergo.

nec ens incorporeum medium inter substantiam et accidens.

Dices. Angelus vere dicitur esse in spatio. Atqui nisi spatium esset incorporeum, non posset angelus esse in spatio. Ergo.—*Resp. dist.* Angelus vere dicitur esse in spatio definitive, ita ut intra spatium, in quo suam exercet virtutem, sit totus in toto ac totus in singulis spatii partibus, *conc.*: circumscriptive, seu commensurando suas partes partibus spatii, *neg.*; nam nullas habet Angelus partes. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. (4).

246. PROPOSITIO 4.^A *Spatium non consistit formaliter in ipsa corporea extensione vel in continuata serie corporum extensorum nec in relationibus distantiae, quæ adsint vel adesse possint inter corpora eorumve superficies, inter quas contineri aliquid queat.*

Probatur prima pars: Spatium non consistit in ipsa corporea extensione. 1.^o Si spatium formaliter situm esset in ipsa corporum extensione, eadem utrique prædicata convenirent. Atqui spatio et corporum extensioni, prout concrete in illis reperitur, non eadem, sed diversa conveniunt prædicata. Nam spatium continet extensionem corpoream, hæc

Spatium non consistit in ipsa corporea extensione,

(1) Card. Tolet., *Physicor.*, lib. 6, quæst. 1, *Secunda conclusio*.

(2) Vide *Ontologiam*, num. 315, pag. 909, *respons. ad Object.* 5.^{am}

(3) Vide *Ontolog.* num. 265, pag. 762.

(4) Cfr. plura apud P. Salvatorem Roselli, *Summ. philos.*, tom. 2, quæst. 10, art. 3 et 4. Et vide etiam Suarez, *Metaphys. disp.* 51, sect. 1, num. 10, 11.

vero *continetur*; spatium *repletur, occupatur*, corpora ratione suæ extensionis *replent, occupant*: spatium concipitur, et potest etiam esse vacuum, et non impletur nisi adventu alterius realitatis, nempe corporis extensi, at ipsum corpus extensum nec esse, nec concipi ut vacuum potest. Jam vero hæc omnia et alia id genus, quæ adduci possent, diversa seseque invicem excludentia prædicata sunt. Ergo nisi velis corpus extensum seipsum continere, replere et occupare, spatium non consistit in extensione.

Dices. Id, quod concipitur a nobis ut *continens* et ut *implebile*, dici potest esse spatium possibile vel possibilitas extensionis; quod vero apprehenditur ut *contentum* et *impletum*, esse spatium reale seu extensio realis. Ergo verum non est inter extensionem realem et spatium item reale intercedere ullam oppositionem.—*Resp. neg.* antec. Nemo enim concipit extensionem actualem et realem recipi et contineri in extensione possibili, quia extensio realis et possibilis sunt eadem res in diverso statu.

Prob. 2.^o Extensio corporea prout talis, sive secundum quod est a parte rei, sive secundum quod a nobis apprehenditur, nihil amplius importat nisi positionem partium extra partes. Atqui nemo concipit spatium solummodo tamquam positionem partium extra partes. Ergo nequit spatium reponi formaliter in corporea extensione.

Mitto cætera, quæ addidit Cartesius de impossibilitate vacui ac de corporis essentia, quæ alibi profligata sunt (1), nec necessario connectuntur cum opinione spatium in corporea extensione reponente.

Probatur secunda pars: Spatium formaliter non consistit in relationibus distantie, quæ adsint vel adesse possint inter corpora eorumve superficies. Ratio eadem est, quam contra præcedentem opinionem ursumus. Nam diversa sunt prædicata, quæ spatio ac prædictis relationibus attribuuntur. Nempe spatium est, et concipitur potius tamquam ratio fundandi relationem inter extremas illius superficies, quam instar formalis relationis. Unde etiam subjectum, in quo sunt relationes distantie, est extremum vel superficies ab alia distans

nec in
relationibus
distantie inter
corpora eorumve
superficies.

(1) Vide supra num. 20, et lib. 2, disp. 1.

ratione interpositi intervalli; at certe spatium non habet subjectum, in quo sit. Præterea spatium est æquale corpori locato, relationes autem non possunt dici corpori æquales. Denique potest concipi spatium, quin importet ullam relationem distantie inter ulla corpora vel superficies, ut accidit in conceptu spatii possibili et imaginarii, indefiniti, in quo certe nulli possunt concipi limites, intra quos coëreatur.

Dices 1.^o Extensio re vera est receptaculum corporum, immo vero sine extensione non concipitur spatium.

Resp. 1.^o Quamvis extensio foret corporum receptaculum a parte rei, adhuc non sequitur spatium formaliter consistere in extensione: nam extensio, qua talis, non importat nisi partium extra partes positionem; id autem solum non est formalis ratio spatii. *Resp. 2.^o dist.* primum membrum asserti. Extensio realis re vera est receptaculum corporum, si vacuum habeat, vel habere possit, *conc.*; secus, *neg.* Extensio namque realis et actualis importat impenetrabilitatem: ubi autem adest impenetrabilitas, nequit dari capacitas receptiva alterius corporis, nisi recedente priore. Unde in vase non datur capacitas receptiva aquæ vel alterius liquoris, nisi quatenus vacuum est: quod si plenum est, eatenus dumtaxat recipere aliquid potest, quatenus prius exinanitum, locum relinquat alteri corpori capiundo.

Distinguo etiam alterum membrum. Sine extensione reali non concipitur spatium, *neg.*, sine extensione possibili; *subdist.*: id est non concipitur spatium, quin intelligamus dari vel poni in eo posse extensionem aliquam, *conc.*: id est ipsam possibilem extensionem apprehendimus ut spatium vel ut elementum spatii, *neg.*; vel si vis iterum *disting.*; ex lusu imaginationis, unde nomen habuit spatium imaginarium, *conc.*; ex decreto rationis, *neg.*

Dices 2.^o Mutata relatione rerum simul existentium, mutatur spatium; manente relatione, idem manet spatium. Ergo in relatione rerum simul existentium consistere spatium dicendum est.—*Resp. neg.* antec., vel si mavis *disting.* primam partem. Mutata relatione etc., mutatur in seipso formaliter spatium, *neg.*: mutatur spatium prout occupatum, vel spatii occupatio diversa est, *conc.* Et *neg.* conseq.

Dices 3.^o Eo ipso quod res occupat spatium, cogitamus eam sub relationibus ad alias res. Ergo in prædictis relationibus situm est spatium.—Resp. 1.^o *dist.* antec. Eo ipso quod res occupat spatium, cogitamus eam sub relationibus ad alias res, si existant, *conc.*, secus, *neg.* Nonne posset Deus unum tantum corpus creare? et nonne tale corpus occuparet spatium? Atqui tamen in ea hypothesi nullam realem ad alias res relationem corpus illud haberet.—Resp. 2.^o Transmisso antecedente, *neg.* conseq. Nam relationes illæ coexistentiæ vel distantæ, etc., rei in spatio existentis fundantur in ipsa rei entitate vel positione locali, quam proinde prævie præsupponunt. Ergo nequit spatium in illis consistere.

Dices 4.^o «Nomine spatii formaliter et directe omnes apprehendunt aliquid, quod si minus per se et ab intrinseco, saltem per extrinsecam denominationem, sit mensurable secundum tres dimensiones. Non autem superficiæ ambiænti, sed solummodo relationi distantæ, quæ ad eam consequitur, competit, ut hoc modo mensurabilis sit» (1).—Resp. *neg.* conseq. Nam etiam substantiæ corporeæ convenit per extrinsecam denominationem, nempe ratione quantitatis, ut sit mensurabilis secundum trinam dimensionem; ipsi vero quantitati cuius realis extensioni idem convenit per intrinsecam denominationem. Ergo si hæc ratio arguendi valet, eodem jure concludendum erit rationem formalem corporis et quantitatis esse sitam in relatione distantæ voluminalis. Quod ergo spatium vel intervallum corpore replebile possit mensurari secundum trinam dimensionem, minime probat illud formaliter in relatione distantæ consistere. Cum potissimum ipsa formalis relatio distantæ nequeat mensurari secundum trinam dimensionem, non enim est quantitas, nec habet quantitatem; sed tantum mensuratur id, quod intercedit, vel potest intercedere medium inter extrema, et consequenter mensurari potest vacuum ipsum, quod forte intersit; tantum enim est vacuum, quantum corpus, quod capere potest. Jam vero nihil horum est ipsa formalis relatio, sed tantum ratio fundandi relationem distantis inter extrema quævis assignabilia, quæ non se tangant, et inter quæ medium aliquod

(1) Ita cl. P. De San, *Cosmolog.* num. 444. *Primo, ex eo quod...*

interest, vel certe interesse potest. Et prout illa ratio fundandi varias importet dimensiones, relatio distantæ inter extrema variatur. Quamvis ergo spatium sit intervallum vel receptaculum quoddam, minus recte dicitur consistere formaliter in relationibus distantæ, sive linealis sive voluminalis. Cum potissimum concipi possit spatium vel receptaculum, quin concipiatur extrema vel termini ejus, qui relationem distantæ habeant, ut accidit in spatio universalissimo et imaginario, in quo nulli certi termini vel distantæ assignantur; ubi enim termini et distantæ determinantur, non jam spatium in genere nec imaginarium, sed particulare dumtaxat obtinet.

Dices 5.^o «Omnes aliquatenus distinguunt inter spatium et superficiem continentem, hanc apprehendendo tamquam *id, quod terminat spatium*. Est ergo spatium formaliter distantia voluminalis inter definitos terminos, qui sunt superficies vel partes superficiæ, intercedens» (1).—Resp. *Concedo* totum, dummodo non concludas spatium consistere in formali relatione distantæ. Antecedens enim solum probat aliud esse *locum*, id est, superficiem continentem, et aliud *spatium*, id est, capacitatis receptiva vel intervallum existens inter superficies: ex hoc autem minime sequitur esse formaliter relationem.

247. PROPOSITIO 5.^A Spatium est capacitas recipientium corporum vel extensionis: quæ capacitas, quantum est de se, nihil est actuale, non tamen est incompossibile cum ente actuali: unde generatim sumptum dividi potest in reale vel plenum ac possibile vel inane aut vacuum. Spatium autem quod vocat imaginarium quoad rem ipsam non est, nisi spatium possibile nullis circumscriptum limitibus, quod per lusum imaginationis apprehenditur instar realis et actualis cujusdam extensionis, ac proinde prout ita apprehensum, est ens quoddam rationis cum fundamento in re.

Probatur prima pars: ex communi omnium sensu. Nam ubicumque locari corpus potest, ibi spatium esse dicere

Spatium
est capacitas

(1) Ita idem clarus scriptor, *ibid.* *Secundo idem patet.*

recipiendorum
corporum:

solemus, et vicissim ubi nequit locari corpus, negamus spatium esse, vel dicimus spatium esse occupatum; si autem corpus, quod replet spatium, alio amoveatur ita, ut remaneat amplitudo vacua, quam corpus novum subintrare queat, dicimus fieri spatium. Quæ omnia probant affatim communem hunc esse modum apprehendendi spatium, ut sit capacitas recipiendi corpora vel realem extensionem.

et de se
nihil
actuale est.

Probatur altera pars: *spatium, quantum est de se, nihil est actuale*. 1.^o Si spatium foret aliquid actuale, vel esset aliquid divinum et increatum, vel creatum. Et si creatum, aut incorporeum aut corporeum; et si corporeum, vel substantia vel accidens, ac potissimum quantitas et extensio aliqua subtilissima. Atqui hæc omnia exclusa manent in superioribus. Ergo.....

Prob. 2.^o Si spatium per se esset aliquid actuale, non posset dari spatium inane, quod nihil sit actu. Atqui dari possunt, ac porro dantur spatia inania. Nam potest Deus annihilare aërem vel quodvis aliud corpus, quod opplet vas vel cubiculum vel atmosphæram, nullo alio in ejus locum surrogato corpore: tunc autem daretur intra vas vel cubiculum vel in atmosphæra spatium penitus inane. Præterea ultra mundanam machinam, quam superius probavimus infinitam non esse, dantur spatia inania aliis mundis, qui creati a Deo possent, recipiendis apta.

Prob. 3.^o Omnes concipiunt spatium tamquam receptaculum corporis, trinam habens dimensionem, quaquaversus permeabile et aptum, ut in eo moveatur corpus, illudque ita replens, ut spatium repletum æquet corpus, a quo repletur, et totum corpus sit in toto spatio, et pars in parte, et interiores partes corporis in interioribus partibus spatii, et sic corpus quodammodo sit cum spatio compenetratum. Atqui hæc omnia perfectissime quadrant in inanem concavitatem, ut per se patet.

patitur
tamen secum ens
actuale.

Probatur tertia pars: *spatium non est impossibile cum ente actuale*. Nam secus corpus, et generatim ens actuale, non posset esse in spatio, nec ei adaptari, et cum ipso quasi compenetrari. Atqui contrarium patet experientia, nec potest actuale corpus esse nisi in spatio. Ergo spatium quamvis non sit ens actuale, non tamen pugnat cum ente actuale, sed

amicæ stat cum illo. Unde etiam confirmatur præcedens pars propositionis, quia nisi velis spatium esse divinum aliquid, vel incorporeum, vel qualitatem aliquam, necesse est dicere illud ex sese non esse aliquid actuale. Nihil enim actuale in genere corporis et extensionis potest secum pati consortium et compenetrationem et quasi commixtionem cum corpore et extensione, qualem patitur spatium.

Hinc etiam patet discrimen, saltem rationis et secundum modum concipiendi et loquendi satis communem, inter spatium et vacuum vel inane. Nam vacuum et inane, si repletur corpore, jam desinit esse, et vocari vacuum vel inane; at vero spatium tametsi repletur, non omnino desinit appellari spatium. Quamvis enim sæpe cum spatium est actu occupatum, dicitur non esse, spatium; at sæpe alias loquimur de *spatiis repletis et occupatis*, quin tamen hæc locutiones absurdæ habeantur aut contradictoriæ, sicut absurdum et contradictorium habetur *vacuum plenum vel repletum*. Quare crediderim significationem et vim vocis spatii *analogiam* quamdam servare in hac parte cum vocibus *possibile* et *possibilitas* præcisive sumptis. Quemadmodum enim in *Ontologia* notavimus (1), id differunt *pure possibile* ac *præcisive possibile*; quod *pure possibile* importet præsentem carentiam actualitatis et existentiae, secus vero *præcisive possibile*, quod cum non importet nisi aptitudinem ad existendum, prædicari potest non solum de actu non existentibus, sed etiam de actu existentibus. Simili quodam modo inane quidem et vacuum pugnat cum corpore, quo actu repletur; spatium vero talem importat capacitatem et non repugnantiam corporis, ut in sua generali ratione nec exigat actu occupari, nec carere corpore et actuali extensione. Unde patet

Discrimen
inter spatium
et vacuum.

Quarta pars propositionis. Nam spatium reale dici videtur ab auctoribus spatium actu occupatum vel plenum aliquo corpore, vel illud, quod naturaliter est intra *locum* vel superficies continentes, vel continere valentes, aliud corpus. Talia sunt omnia spatia intra mundanam molem existentia. Ita enim sunt in mundo corpora ordinata, ut dimensiones

Spatium
generatim
sumptum
dividitur in reale
et possibile.

(1) *Ontolog.* num. 233, pag. 645.

ac superficies unius contineant, vel continere, ac circumdare possint alia corpora, donec veniatur ad extimam superficiem totius machinæ mundanæ, quæ nulla alia ulteriori realis corporis superficie circumscribitur. Et quoniam in hoc mundo non videtur dari vacuum, sed omnia sunt corporibus magis minusve subtilioribus oppleta, sequitur intra mundum omnia intervalla intra superficies locorum interjecta, nempe spatia, de facto repleta reapse esse. Quamvis enim plura vulgo spatia vacua putentur, vel etiam dicantur, non tamen vere vacua sunt, sed tantum apparenter, quia nempe insensibili vel parum sensibili corpore occupantur: talia sunt vasa et concavitates atque atmosphæra. Unde etiam repleri dicuntur, quando amoto corpore, quo prius occupabantur, aliud in ejus locum substituitur.

Unum tamen probe notatum volo, spatium, quod reale dicitur, nullam re vera realitatem importare contradistinctam vel a terminis ejus, id est a loco, intra cujus superficies intercipitur, vel ab ipso reali corpore aut extensione, a qua repletur; et ratio est, quia jam ostensum est intervallum capax recipiendi corpora seu spatium, quantum est de se, nihil esse actuale: unde spatium et corpus replens illud non sunt duo entia realia. Quapropter nequit etiam capacitas, quam importat spatium, concipi instar potentia aliquid physicae receptivæ corporis, quia spatium ex sese, et prout contradistinctum a loco et corpore replente atque occupante, nihil reale est. Spatium itaque, quod *reale* dicitur, nisi me fallit opinio, non videtur intrinsece denominari reale, per aliquam nempe realitatem sibi propriam, sed extrinsece dumtaxat ac per ordinem ad reales loci superficies, a quibus terminatur, vel ad realem extensionem, qua repletur. Spatium porro inane vel possibile est intervallum, quod non occupatur reali et actuali extensione, nec terminatur ad reales corporum superficies: cujusmodi est capacitas aliorum locandorum corporum, quæ adest ultra mundi machinam.

Probatur quinta pars: *spatium imaginarium est ens rationis cum fundamento in re.* Nam spatium imaginarium est capacitas vel possibilitas locandorum corporum, quæ præcessit mundi creationem, et nunc etiam adesse intelligitur ultra limites mundanæ molis instar subtilissimæ cujusdam

Spatium
imaginarium
est ens rationis.

extensionis indefinitæ, indivisibilis, immobilis, quaquaversus penetrabilis aut permeabilis, prout superius declaratum reliquimus. Atqui ejusmodi spatium nequit esse aliquid actuale ac reale. Ergo debet esse ens rationis. Atqui non est ens pure confictum ab intellectu. Ergo debet esse ens rationis cum fundamento in re.

Minor constat ex prima parte hujus propositionis. Quia si spatium generatim sumptum nequit esse ex sese reale quiddam, multo minus spatium imaginarium. Sane spatium istud concipitur esse: α) nullis terminatum limitibus: β) ultra limites mundi sese protendens in infinitum: γ) ante mundi creationem existens. Atqui nihil reale datur: α) carens limitibus secundum extensionem, ut alibi probatum est contra Cartesium (1): β) nihil item reale existit ultra mundanam machinam, saltem præter Deum et substantias immateriales: γ) denique ante mundi creationem nihil existebat, nisi solus Deus.

Prima consequentia manifesta est, si *ens rationis* sumatur per oppositionem ad ens actuale seu actu existens, ut hic sumitur.

Minor subsumpta etiam probatur, quia in spatio imaginario duo possunt considerare: primo phantasma extensionis cujusdam subtilissimæ in infinitum diffusæ, indivisibilis, permeabilis atque immobilis; et secundo realis extensionis possibilitas, vel potius possibilis ubicatio corporis vel extensionis realis, quam late diffundi fingitur per imaginationem tetrum illud spectrum extensionis. Jam primum quidem horum duorum est purum figmentum, alterum vero non: quia quamvis extra mundum, ubi fingitur phantasma extensionis cujusdam actualis, re vera non datur ulla extensio physice existens, at certissimum est posse, qua late patet fictitia illa extensio, et in quacumque ejusdem assignabili portione, veram ac realem actu physice existentem extensionem collocari, sicut de facto locatus est a Deo hic mundus. Et præcise quia novit mens nostra posse ubicumque dari realem extensionem, phantasia figmentum illud proculdit, umbris inanibus solidum corpus extensionemque nullo fine diffusam

(1) Vide supra, num. 20.

attribuens. Quamobrem spatium imaginarium continet quidem figmentum, sed non est purum figmentum, et figmentum ipsum, quod importat, fundatur in realis extensionis possibili ubicatione, vel ut alii loquuntur, in possibili extensione (1).

COROLLARIUM. Patet hinc in idem recidere doctrinam Cardin. Lugo (2), Sylvestri Mauri (3) aliorumque, dicentium spatium imaginarium reipsa non esse aliud, quam complexum et summam possibilium omnium ubicationum, quæ corpori competere queunt. Nam ubicumque corpus habere suum *ubi* potest, ibi est spatium aliquod, sive detur realis locus et realis superficies continentes, sive non. Nam intra hunc mundum corpora omnia ubicantur in realibus locis; at ipse mundus secundum extremam superficiem suæ molis, non habet realem locum, sicut nec etiam habent res, quæ extra mundum locarentur in immensa illa inanitate, quam spatium imaginarium dicimus. Quia ergo ibi nihil actu est ubicatum, at ubicari posset in quacumque designabili parte, ideo spatium imaginarium in se complectitur omnes posibles ubicationes.

Quædam
difficultates
solute.

248. *Objic. 1.^o* Spatio conveniunt prædicata realia et positiva, qualia sunt habere trinam dimensionem, esse mensurabile, æquale corpori locato, etc. Atqui illud, cui realia prædicata conveniunt, reale sit, oportet. Ergo...

Resp. dist. Major. Spatio conveniunt prædicata realia, id est non pure conficta a mente, *conc.*; id est, actualem ac physicam existentiam importantia, *subdist.*: spatio imaginario, *neg.*: spatio reali vel etiam spatio in genere; iterum *disting.*: per se et per intrinsecam denominationem, quatenus spatium, prout contradistinctum et independentem a corpore ubicato ac replente, sit subjectum realium prædicatorum, *neg.*; per extrinsecam denominationem et ordinem ad corpus ubicatum, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *neg.*

(1) Vide Suarez. *Metaphys. disp. 51, sect. 1, num. 24.* Cfr. Lossada *Physic. tract. 3, disp. 2, cap. 1, initio.*

(2) *De Eucharist. disp. 5, sect. 6, num. 148* seqq.

(3) *Quæst. philos. lib. 2, quæst. 27, ad 3.^{um}*

conseq. Non enim potest habere in se ac per se reales dimensiones, nec proprie mensurari, nec æquale esse, nisi quod in se quantum et extensum est. Jam autem demonstratum est spatium, prout a corpore vel extensione in eo locata distinguitur, non esse quantum nec aliud quidpiam actuale. Dicitur nihilominus, et concipitur habens trinam dimensionem et mensurabile, quia tale est corpus in eo locale; et propterea etiam concipitur ut illi æquale.

Objic. 2.^o Corpus vi suæ extensionis replet, vel occupat partem spatii. Atqui quod nihil est actuale, nequit repleti vel occupari. Ergo.

Resp. dist. Major. Corpus vi extensionis suæ replet, vel occupat partem spatii realis, nempe inter superficies loci realis intercepti, *trans. vel conc.*; partem spatii possibilis vel imaginarii nullisque realibus superficiebus circumscripti, *subdist.*: in rei veritate ac proprie, *neg.*; secundum nostrum modum concipiendi, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Proprie non repletur, nisi quod habet capacitatem per modum *potentiæ physicæ* receptivæ: quo pacto vasa et loci replentur proprie, et occupantur a corpore in eis ubicato, illudque physice ac realiter continent, ac circumscribunt. Inde autem mens et imaginatio nostra capiunt ansam, ut quidquid ubilibet constituitur, etiam si nulla ibi realis extensio nullumve corpus præcedat, repræsentent quasi replens locum aliquem realem ibidem existentem, quamvis reapse nihil sit actuale, sed solum inanitas quædam, quæ jam desinit esse eo ipso, quod ibi constituitur corpus; et vicissim quia videmus in hoc mundo non nisi in loco et reali receptaculo recipi corpora, ubicumque corpus aliquod ubicari potest, fingimus locum, qui replendus et occupandus sit instar vacui cujusdam vasis.

Objic. 3.^o Duo entia, quæ interposito spatio separantur, vere distant inter se, nec disinerent distare, quamvis in nihilum verteret Deus omne corpus, quod intermedium hujusmodi spatium occuparet. Atqui id dici non posset, nisi spatium per se et ex se reale quidpiam esset. Nam distantia, qua duo illa entia invicem separarentur, tandem realis quædam esset relatio; fundamentum autem talis relationis aliud non daretur præter spatium interjectum. Atqui ad realem

relationem prædicamentalem requiritur præter realia extrema relata reale fundamentum. Ergo spatium illud necessario reale quiddam esse debet.

Resp. conc. Major., neg. Minor. Ad cujus probationem *dist. Minor.* Ad realem relationem prædicamentalem requiritur fundamentum reale, quod nempe sit aliquid independens a mentis consideratione, *conc.*, quod sit necessario entitas quædam actualis et physice existens, *neg.*; et *neg.* conseq. Nam etiam duo cæci realem inter se habent similitudinis relationem, fundatam in cæcitate, quæ certe nihil est realis, positivæ ac physicæ entitatis, sed sola privatio. Cur ergo duo entia spatio, quod nihil actuale ac physicum sit, separata, non possint habere realem relationem? Nam si spatium intercedit, possibile est inter duo illa entia, absque ulla sua mutatione locali, realem extensionem interponere, ac proinde diversas ubicationes habent, atque adeo nequeunt non realiter distare.

Objic. 4.^o Si spatium non est aliquid actuale, importaret negationem corporis. Atqui hoc absurdum est. Nam secus non posset dari spatium reale nec plenum, negatio enim non cohæret cum forma, quam negat. Datur autem, fatentibus omnibus, spatium reale ac plenum. Ergo.

Resp. neg. Major., nam vel sermo est in objectione de spatio in genere, vel de reali vel de imaginario. Si de spatio in genere, id quidem dicitur non esse aliquid actuale; non tamen in quantum importet positive negationem corporis, sed in quantum non requirat ad sui rationem actualitatem physicam, quia solam importat capacitatem recipiendi corpus, vel ubicabilitatem corporis, modo jam declarato: hæc autem capacitas non necessario importat negationem corporis, sed præscindit ab hoc, quod corpore repleatur actu, vel non. Si sermo est de spatio pleno ac reali, non importat negationem, sed præsentiam corporis, et propterea habet quamdam actualitatem, quamvis tota ejusmodi actualitas non sit intrinseca spatio, sed in illud refundatur ex corporis replentis vel loci realitate. Denique spatium imaginarium negat quidem corpus; sed si mox corpus reale in ipso constituitur, desinit esse spatium imaginarium, et fit reale (1).

(1) Cfr. plura apud cl. P. De San, *Cosmolog.*, num. 447 seqq.

§ II.—QUID SIT LOCUS.

249. Variæ fuere veterum opiniones circa naturam loci (1). Quidam enim putarunt locum esse ipsum prædicamentum *Ubi* seu præsentiam localem. Alii contenderunt locum esse idem, ac spatium, nempe secundum quosdam spatium imaginarium, secundum alios spatium reale. Cômmissis autem Scholasticorum sententia locum reponit cum Aristotele in superficie corporis aliud continentis et ambientis. Idque facile probari potest. Locus enim vel est ipsum *Ubi*, vel spatium, sive imaginarium sive reale, vel corpus aut extensio replens spatium illud, vel intervallum existens inter superficies aliorum corporum circumstantium, vel denique ipsæ hujusmodi superficies. Nihil enim præter hæc cum aliqua probalitate assignari potest. Atqui locus nec est *Ubi*, nec spatium, nec corpus replens illud. Ergo relinquitur, ut aliud esse non possit præter superficiem corporis ambientis.

Probatur Minor. El primo quidem locus non est confundendum cum ipso prædicamento *Ubi*: prædicamentum enim *Ubi* latius patet, quam locus proprie dictus, ut jam probatum reliquimus in *Ontologia* (2), quamvis sæpe vulgus videatur utrumque permiscere. *Ubi* enim convenit omnibus entibus creatis sive corporeis sive spiritualibus, quia omnia sunt *alicubi*, ac proinde omnia suum habent *Ubi*; at vero locus stricte sumptus est proprius tantum corporum. Præterea prædicamentum *Ubi*, vel præsentia localis, vel ubicatio, secundum nostram sententiam ibidem in *Ontologia* propugnata, est modus ipsius rei ubicatæ, ideoque est in ipsa re ubicata, locus vero non est modus rei locatæ, nec est in illa, sed e converso res loco. Accedit, quod corpore quiescente, posset Deus locum vel corpora omnia circumstantia penitus destruere. Atqui tum corpus illud idem *Ubi* retinet, non tamen esset proprie in loco. Quare ut omnis ambiguitatis occasio præcidatur, prædicamentum *Ubi* cum

(1) Vide Card. Tolet. (*Physicor.* lib. 4, quæst. 3 et 4), Conimbric. (ibid. cap. 5, quæst. 1, art. 1), Rubium (ibid. tractat. *de natur. loci*, quæst. 1), Suarez (*Metaphys. disp.* 51, sect. 1), Complutenses (*Physic. disp.* 19, quæst. 1).

(2) Vide *Ontolog.* num. 371, pag. 1062 et 1063.

Quid locus

ex communi
Scholasticorum
doctrina.

Locus
non est
confundendus
cum
prædicamento
Ubi.

Locus
intrinsicus

pluribus veteribus vocari potest *locus intrinsicus*, quia nempe est aliquid in ipsa re existens tamquam modus ejus (1), et nos nunc non loquimur de hoc, de quo jam egimus in *Ontologia*, sed de loco physico et corporeo, qui sub nomine loci simpliciter significatus est ab Aristotele, et passim a Philosophis etiam significatur, quamquam ad distinctionem prædicamenti. Ubi a multis vocatur *locus extrinsecus*. Si cui tamen minus arrideant nomina intrinseci et extrinseci loci, nolo litem de voce movere: hoc unum contendo, locum, de quo nunc agendum est, non esse idem prorsus, ac *Ubi* prædicamentum, quod in *Ontologia* declaratum manet (2).

et extrinsecus.

Locus
non est
spatium, sive
imaginarium

Neque etiam admitti potest sententia locum confundentium cum spatio imaginario. Nam spatium ejusmodi non est aliquid actuale vel reale actu existens, nec proprie continet res, nec conservat. Atqui loci nomine proprie loquendo venit aliquid reale, continens et ambiens conservansque res in illo constitutas. Ergo locus non est spatium imaginarium. Nec pariter locus est spatium reale: ut enim constat ex superius probatis, spatium reale est intervallum plenum, inter superficies aliorum corporum interceptum, quod independenter ab ipso corpore vel extensione, qua repletur, nihil est ex se. Atqui locus proprie dictus intelligitur aliquid reale in se ipso et ex seipso seu independenter ab extensione vel corpore contento et locato. Ergo locus non est spatium, quod dicunt reale.

sive reale:

nec corpus,
nec materia,
nec forma.

Denique locus non est corpus ipsum, nec materia, nec forma corporis replentis spatium. Nam materia et forma corporis sunt aliquid intrinsicum corpori, et solum inadæquate distingui possunt ab eo, seorsim sumptæ: nec possibile est, corpore eodem manente, materiam vel formam ab

(1) Vide Suarez (*Métaphys.* disp. 51, sect. 2, num. 4), Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 10), Sylvest. Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 26), Lossada (*Physic.* tract. 3, disp. 2, cap. 1, num. 5), etc.

(2) In alio diverso sensu voces loci extrinseci et intrinseci usurpant PP. Tongiorgi (*Cosmolog.* num. 347) et cl. Palmieri (*Cosmolog.* thes. viii): locum extrinsecum dicunt esse superficies corporum ambientium nempe verum ac proprium locum, intrinsicum autem locum vocant ipsum spatium quod inter superficies corporum ambientium interceptum, quodque repletur et occupatur a corpore locato. Verum spatium perperam confunditur cum loco, ut statim probandum est.

eo separari. Atqui locus adæquate distinguitur a re locata, nec est illi intrinsicum quiddam, sed extrinsecum, et facillime separatur, ac deseritur a corpore locato, cum nempe id ab uno in alium locum transfertur. Ergo locus non potest esse corpus ipsum replens spatium, nec illius materia vel forma (1).

250. Locus ergo communiter definitur a Scholasticis cum Aristotele: *extrema superficies corporis continentis, immobilis, prima* (2), id est extrema superficies corporis vel corporum aliud ambientium, quæ immediata seu contigua est corpori contento, quatenus immobilis. Sic immediata superficies aëris ambientis terram est locus hujus; et superficies aëris quaquaversus circumdantis aquam in vase contentam est locus ejus (3). Verba definitionis priora difficultate vacant ex hactenus dictis, ex quibus habetur locum aliud esse non posse præter ultimam superficiem corporis vel corporum ambientium rem locatam. Aliquod tamen negotium facessit illa particula definitionis, qua locus dicitur *superficies immobilis*. Si enim attente res consideretur, nulla est superficies hujusmodi ambiens corpus, quæ sit immobilis: sic superficies aëris domum circumdans, perpetuo mutatur; itemque superficies aquæ pisces in flumine continens perpetuo fluit: ac generatim superficies cujuslibet corporis aliud circumstantis posset a Deo moveri, vel destrui. Aliunde vero negari nequit locum aliquam sibi vindicare immobilitatem: siquidem quidquid movetur, locum deserit, et ab uno in alium locum transit; non posset autem id fieri, si locus non remaneret immobilis. Unde communiter sentiunt Peripatetici locum esse debere immobilem, quamquam non omnes eodem pacto rem declarent. Alii enim cum Commentatore et Janduno (4)

Aristotelica
loci definitio

explicatur

(1) Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 2, et 4), S. Thom. (*ibid.* lec. 3 et 6), Tolet., Conimbric., aliosque passim interpretes Philosophi in hunc librum.

(2) Arist. loc. cit., cap. 4.

(3) Vasis autem ipsius superficies, quamvis vulgo locus existimetur corporis in vase contenti, non est tamen vere locus, quia non est immobilis.

(4) Apud Toletum (*Physicor.*, lib. 4, quæst. 5), et Rubium (*Ibid.* quæst. 1.^a, num. 32).

volunt, locum vel superficiem continentem non moveri per se, sed tantum per accidens, ad motum nempe corporis ipsius cuius est superficies, et ob id dici immobilem. Alii arbitrantur cum Scoto (1), locum dici immobilem, non simpliciter vel per identitatem, sed per æquivalentiam, quia nempe licet mutetur, vel mutari possit hæc vel illa superficies, alia tamen succedit prorsus æquivalens, et ideo reputatur pro eodem loco. Alii denique, ut cætera omittamus, probabilius ac melius contendunt locum non esse solam superficiem ultimam corporis ambientis, sed superficiem, prout importat certam distantiam ad polos vel partes fixas, quæ determinari possunt in spatio imaginario. Omnia enim spatia realia et loca mundi considerari possunt ut partes quædam spatii imaginarii, vel certe respondent partibus huiusmodi spatii, suasque proprias ubicationes sortiuntur, determinate distantes a punctis fixis assignabilibus in spatio imaginario. Cum itaque istæ ubicationes sint essentialiter immobiles, nec possint alio migrare, sequitur superficies corporis aliud continentes, formaliter prout talem ubicationem vel præsentiam habentes tali parti spatii imaginarii, vel tali mensura distantes a certis ejusdem spatii punctis fixis, re vera immobiles aliquo modo esse, sin minus ob identitatem superficiæ, certè ob identitatem ubicationis, quæ præcipue attendenda est ad judicandum de identitate loci, quæque si sola deficiat, etiãsi superficies ambiens eadem sit, locus re vera mutatur. Quare si vas aqua plenum alio transferatur, mutat locum; quia quamvis superficies vasis eadem sit, mutatur tamen ubicatio; et e converso turris immota remanens cum sua ubicatione, si aër circumfusis varietur, non censetur mutare locum; etenim quamvis *physice* non ambiatur eadem superficie, quia tamen eandem retinet ubicationem, eundem quoque dicitur locum servare, saltem formaliter, solumque materialiter illum mutare, ob mutationem videlicet physicam superficiæ. Ita ergo immobilitas loci sufficienter videtur declarata, quia superficies quamdiu eandem retinet ubicationem, non movetur formaliter, cum eandem pergat servare

(1) Apud Rubium (loc. cit., num. 33). Cfr. Mastrius (*Physic.*, disp. 11, quæst. 1, art. 2, num. 33).

distantiam ad puncta fixa, quæ in imaginario spatio licet assignare. Vel si mavis, distingue inter physicam et moralem loci immobilitatem, et dic alterutram semper verificari in superficie ambiente, quamdiu eadem retinetur ubicatio. Immobilitas physica loci in eo stat, quod eadem numero superficies circumstat locatum, quamdiu hoc non mutat suam ubicationem: et hæc non semper habetur, quia dantur quædam superficies rem locatam continentes, quæ sunt in perpetuo fluxu, quemadmodum accidit in turri et in lapide fluminis, etc. Immobilitas moralis consistit in eo, quod eadem saltem in existimatione hominum remaneat superficies, quia nempe pro una superficie transeunte alia penitus æquivalens continuo succedit, sive secundum naturam specificam sive secundum dimensiones, ut fit in iisdem turris et lapidis exemplis, quæ proinde quamvis physice mutant locum, quia non circumdantur eadem numerice et individue superficie, jure tamen merito dicuntur in eodem versari loco, quia uni superficiæ alia specificæ et quantitative eadem sensim sine sensu substituitur. Est ergo locus aliquo modo vere superficies immobilis (1).

Denique dicitur locus extrema superficies ambiens, immobilis, *prima*. Quid sibi vult *prima*? nempe significat eorum rei non esse quamcumque superficiem, sed proximam vel immediatam et contiguam corpori locato. Quæ definitio proinde convenit non cuius loco, sed *proprio*. Duplex enim distingui solet locus: *communis* vel *mediatus* et *proprius*. Communis est ille, qui non immediate continet rem, sed media superficie alterius. Hoc pacto fluvius est locus piscium, et cubiculum vel domus, hominis: nam alveus fluminis non immediate tenet pisces, sed tantum totam aquam, et similiter parietes domus vel cubiculi non immediate circumdant hominem. Proprius vero locus est illa superficies, quæ tangit rem locatam, ut superficies aquæ proxima piscibus, est eorum locus proprius; et similiter superficies aëris contigua

Locus
communis
vel mediatus
et proprius.

(1) Vide Toletum (*Physic.*, lib. 4, quæst. 5), Rubium (loc. nup. cit. num. 40), Mauri (*Quæst. philos.*, lib. 2, quæst. 26, ad 5.^{um}), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 25, sect. 2), De Benedictis (op. cit. tom. 2, lib. 3, quæst. 2, cap. 1), Lossada (loc. cit. cap. 1, num. 4) etc.